



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,
in visitationem Saxoniam**

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1564

De gratia Sacramentorum, cap. 16.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35803

cōprehēdit, ex scripturis demōstrarem, si nō
 velimus ea pro figmentis & abominationi-
 bus haberi. Quos insultus, quales impetus in
 sacra nostra fecit? Insultemus (inquit) parū-
 per portētis & idolis istis mūdi, Papæ & suis
 sacerdotibus. Agite vos egregij sacerdotes, pro-
 ducite nobis vnum iota aut apicē ex vniuersis
 Euāgeliis & Epistolis Apostolorum, vos esse
 aut dici debere sacerdotes præ cæteris. Quin
 producitis? Auditis ne surdæ imagines? Sed au-
 diat nunc nebulo seipsum, non omnia in scri-
 pturis nominatim haberi, & reuocet errata, eā
 maxime impietatem, quā & Homouision ne-
 gare ausus est Christum, non ob aliam sanē ra-
 tionem, nisi quia vocabulum hoc non habetur
 in scripturis.

In lib de
 abrogandæ
 Nissa.

In lib. cōtra
 Iacobū La-
 tomum.

De gratia Sacramentorum.

C. AP. XVI.

MARTINVS.

ADuersarij mei cum omnibus suis magistris
 vsque hodie ostendere non possunt, quā
 sacerdos remittit culpas, nisi hereticam illam,
 sed vsitatam sententiam proferant, qua dici-
 tur, sacramenta nouæ legis iustificantem gra-
 tiam dare illis qui non ponunt obicē. D O C.

In Resolū.
 conclus. 7.

DE GRATIA SACRAMENTORVM.

*In Sermo. de
preparatio-
ne ad mortē.*

Quando absoluit me sacerdos, non secus cō-
fido atque ipsiusmet Dei verbis. Quod si Dei
verba sunt, vtique vera sunt, nec minus sacer-
dotis absolutioni cōfido, q̄ si Deus specialem
angelū aut Apostolū misisset mihi, aut si Chri-
stus ipse absolueret. MAR. At impossibile est

Vbi supra.

sacramentum conferri salubriter, nisi iam cre-
dentibus & iustis & dignis. Oportet enim ac-
cedentem credere, deinde nō sacramentū, sed
fides sacramēti iustificat. DOCT. In sacramē-

Vbi supra.

tis tecum agit, loquitur, & operatur per sacer-
dotē Deus tuus, Christus ipse, & non fiunt ibi
opera aut verba hominū, sed Deus ipse omnia

*In assertio-
ne. art. 1.*

tibi promittit. LVT. Si hęc vera essent, domi-
ne Doctor, nō iniquè dānasset primum articu-
lum meum in Bulla sua Leo Papa, contra quē

Vbi supra.

ego scripturis & orationibus articulū istū as-
serui. DOCT. Multi quidē vellent certificari
signo aliquo de cœlo, an in gratia dei sint. Cur
autem innituntur sacramētis? Quæ vtique cer-
ta & ad hoc instituta signa sunt, per omnes san-
ctos probata, experta, & certa inuenta omni-
bus qui fidem habent, & acquirūt omnia que-

*In assertio-
ne art. 1.*

cūque significāt. LVT. In omni Sacramēto est
verbum promissionis diuinæ, quod affirmati-
uè promittit & exhibet gratiā dei, ei qui susci-
pit sacramentum, vbicunque autem Deus pro-
mittit, ibi exigitur fides audiētis, ne Deum fa-
ciat mendacem sua incredulitate: quare in sa-
cramentis suscipiendis, necessaria est fides sus-
cipientis, qua credat id quod promittitur.

DOCT. Hæc ratio, Luthere, non Papam, sed *Vbi supra*
 teipsum redarguit, quia in articulo tuo negas,
 Sacramenta gratiam dare, quod hîc affirmas.
 Quid enim aliud est, exhibere gratiam, quàm
 dare gratiam? Et rectè quidem affirmas: Nã si
 sacramenta rectè cognoscas, quid sũnt, ad quid
 deseruiant, & in quẽ vsum, inuenies nil maius
 esse super terrã, quod corda tristia afflictãsq;
 conscientias dulcius cõsoletur. Quia in sacra-
 mentis sunt verba Dei ad hoc deseruientia, vt
 nobis Christum & iudicent & promittant, cũ
 omnibus bonis eius, quæ ipse est, contra mor-
 tem, peccatum & infernum. L V T. Si prior *Vbi supra*
 ratio te non mouet, accipe istam, necessaria est
 fides suscepturo sacramentum, qua credat se
 consecuturum id, quod sacramentum promit-
 tit & donat. Ergo non sacramentum, sed fi-
 des sacramenti iustificat. DOCT. Rursus *Vbi supra*
 confirmas nostram, destruisque sententiam
 tuam. Quid enim aliud est donare quàm da-
 re? si ergo sacramentum donat gratiam, quo-
 modo negas, quòd det gratiam? Certissimum
 itaque dat tibi Deus signum gratiæ suæ, ne
 quid dubites, nempe sancta Sacramenta, per
 quæ fides roboretur & exerceatur, te per gra-
 tiam vocatum esse ad imaginem hæredita-
 tẽmque Christi. L V T H E R V S. Sic qui- *Vbi supra*
 dem docent aduersarij, vt habeant differen-
 tiam inter veteris & nouæ legis sacramen-
 ta, sed in hoc potius differunt, quòd per ve-

DE GRATIA SACRAMENTORVM.

Vbi supra

*In Cap. Ba
bylo. cap. de
Baptismo.*

*In. 500 art.
artic. 46. &
seq. In Ser.
Recumben-
tibus XL.*

tera mundabantur corpora, vestes, cibi, & vasa quæcunque. Per noua verò mundantur conscientia ab immundiciis veris, quæ ex natura vitia & peccata sunt. **D O C T.** Et hæc quoque pro sententia nostra faciunt: Quomodo enim mundarentur conscientia à peccatis absque gratia Dei? Nullus igitur Christianorum existimet se in morte sua derelictum solū, sed certissimè credat, multos oculos in se respicere, iuxta significationem sacramenti. Primum ipsius Dei & Christi ob id sanè, quòd verbo eius credit, & sacramento eius adhæret. Deinde, Angelorum & sanctorū omniumque Christianorum, qui omnes iuxta significationē sacramenti altaris velut corpus totum ad membrum suū accurrunt. **S V E R.** Error est, fratres, sacramenta nouæ legis differre à sacramentis veteris legis, penes efficaciam significationis. Vtraque æqualiter significabant. Idem enim Deus, qui nos nunc per baptismum & panem saluat, saluabit. Abel per sacrificium, Noë per arcam, Abraham per circumcisionem, & alios omnes per sua signa. Vnde & tota eorum efficacia est ipsa fides, non operatio. Sunt enim signa iustificantis fidei, non operis. **ECCLE.** Quod igitur dicunt Papistæ, fidem non sufficere ad salutem, sed oporteat quoque operari bonum, falsum est. Potest enim aliquis credere, quamuis non sit baptizatus: quia baptismus non est plus quàm externum signum, quod nos diuinæ promissio-

nis admonere debet. Ideo qui signa (quæ nos sacramenta vocamus) habet, & non fidem, ille habet vacua sigilla, & chartam sine scriptura. **LVT.** Cùm obiiceret mihi Coclaeus, quòd iuxta dictum Sãcti Petri baptismus nos saluet, respondi, Petrum híc velle, per baptismum, ceu signum externum, fidem prouocari & exerceri quæ saluet. **DOCT.** At non ignoras, credo, illum contra hæc rursus obiecisse, quòd baptismus infantes quoque saluat, quos non possit, ceu signum externum, prouocare & exercere in fide, obstante defectu ætatis. **VISI.** Non vsque adeo male obiecit. Qui enim baptismum fundare vult super fidem baptizandi, is nunquã baptizabit vllum hominem, quia & si centies vnum hominem vno die baptizes, nescis tamen an credat. Neque igitur baptizator, neque baptizatus potest baptismum super fidem fundare. Qui autem baptizatur super verbum & præceptum Dei, etiam si nulla adsit fides, adhuc tamen verus & certus est baptismus, quia fit sicut Deus præcepit. **SVER.** O Papistam duplicem: Ego autem dico cõtra, baptismus neminem iustificat, nec vlli prodest, sed fides in verbum promissionis, cui additur baptismus: hæc enim iustificat & implet id, quod baptismus significat. Non potest igitur esse verum, Sacramentis inesse vim efficacem iustificationis, seu esse ea signa efficacia gratiæ: hæc omnia dicuntur in iacturam fidei: ex ignorantia

*In lib. cõtra
Ioã. Coclaeũ.
1. Pet. 3.
Cor. in Mẽ.
notauo.*

*In lib. cõtra
rebaptizantes.*

*In Cap. Ba
bylo. cap. de
baptismo.*

DE GRATIA SACRAMEN.

In lib. 5. cō-
tra Zuingliū
& Oecolā-
padium.

promissionis diuinæ. VISIT. Loqueris hīc,
sicut solent Suermeri sacramētarij, qui ex cœ-
na faciunt symbolū, per quod Christiani ex-
terius cognoscantur, sicut dignoscūtur medi-
ci, & Iudæi per circulum croceum in veste.

COCLÆVS.

Quam hīc eligas (Illustr. Princeps) senten-
tiam potissimū approbandam? Interroga quæ-
so, vel ipsum Lutherum, vel quempiam sōda-
lium eius, quid de gratia sacramentorū respon-
derit doctissimo ac integerrimo viro Episcopo
Roffensi: Qualiter autē responderit mihi, sciūt
eruditi. Iube nunc vt respondeat, saltē sibi ipsi
eadē de re super tot ac tā diuersis, & contra-
riis sententiis suis. Quāto igitur honestius secu-
riūsq; agnouisset humiliter lapsū & erro-
rem suū, à Papa superiore suo tam benignē
ac paternē admonitus, saltem in primo articu-
lo, qui hac de re loquitur, quā si nunc tandē ex
tot contrarietatibus suis errorem illū agnosce-
re cogatur? Insectatur iam reliquos Suermeros,
qui sacramenta pro signis externis habēt, qui-
bus Christiani signētur, sicut rubea creta oues,
cū ipse centies id ipsum & dixerit, & scripse-
rit prius.

In lib. cōtra
Epistolā Re-
gis An-
glie.

De Sacramento Baptismi.

CAP. XVII,

VISITATOR.